

hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.

VERSIONES.

- Pagnin. n. 25. His auditis discipuli exauerunt.
D. Hilarius Can. 20. Discipuli admirabantur, & metuunt: dicentes, neminem posse saluari.
Euthymius. Discipuli exterriti sunt valde.
Syriacus. Discipuli autem cum hæc audissent, obstupuerunt vehementer, & inquirunt: quis potest seruari?
Græcus n. 26. Intuitus eos Iesus.
Syriacus. Apud Deum verò nihil non possibile est.

ALTER TEXTVS.

- Marc. 10. Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos: & quis potest saluus fieri?
Num. 27. Et intuens illos Iesus, ait; apud homines impossibile est, sed non apud Deum: omnia enim possibilia sunt apud Deum.
Luc. 18. n. 26. Et dixerunt, qui audiebant: & quis potest saluus fieri?
Num. 27. Ait illis: quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

EXPOSITIO V.

42.



IS auditis. Quod tam arcta, & angusta esset via vitæ, tamque difficillimum diuitem in regnum cælorum introire. Discipuli mirabantur valde. Seu vt alij legunt, exauerunt. Syriacus, obstupuerunt, seu vt habet Euthymius, exterriti sunt. Ob tam arduam doctrinam, quæ tantum periculum gehennæ, & exilium à patria diuitibus minabatur, sed ex hoc ipsos gaudendum esse videbatur, qui omnia sua dimiserant ob Christum; vt meritò addubitat D. Chrysofostomus homil. 64. in Matth. Cuius ergo rei gratia, ait, discipuli, qui nimium inopes erant, turbantur? Pulchrè respondet: Quia propter perditionem aliorum dolebant: quorum omnium iam charitate afficiebatur: & quasi magistrorum, ac paruum viscera susceperant. Sic enim pro vniuerso terrarum orbe, huius sententia acrimonia expauerunt, vt non parua eis consolatione opus fuerit. Ex diuitiis Apostoli nullum periculum sibi metuebant, exemplo tamen pietatis accepto à Domino, quia pastores orbis erant constituti; ideo maximè de aliis curam agebant, de eorumque periculo dolebant. Sic David certus de salute sua ex diuina promissione adhuc timidus desperabat se posse euadere à facie Saul, 1. Regum 23, num. 26. Non quia sibi, sed suis nocumentum à Saule inferendum verebatur.

Syriacus. Euthym.

Chrysof.

Boni Prelati suorum plagas, plusquam suis formidant.

1. Reg. 23.

43. Quis ergo poterit saluus esse? Seu saluum esse, ac intrare in regnum cælorum. Meritò tamen dubitatur, cum paucissimi sint diuites in comparatione multitudinis pauperum, quomodo ex sententia prolata contra diuites, inferunt discipuli raritatem, ac paucitatem saluandorum. Quod dubium pertractat D. Augustinus lib. 1. quæstion. Euangel. quæst. 1. dicens: Quod ait Dominus diuitem non intrare in regnum Dei; & discipuli dicunt: quis potest saluus fieri? Cum pauci sint diuites in comparatione multitudinis pauperum; intelligendum, quod omnes, qui talia cupiunt? Acutè sanè Augustinus dubium soluit; nam licet multi sint pauperes, multique, qui opulentis possessionibus renuntient, vt Christianam paupertatem religiosè sequantur, tamen pauci sunt, qui non habeant affectum ad diuitias, ac qui ex renuntiatione non refumant aliquem affectum, ideo ergo ex sententia prolata contra diuites, rectè inferunt Apostoli. Quis ergo poterit saluus esse? Quia paucissimi sunt, & qui opes non concupiscant, & si aliqui effectu eas contemnunt, tamen adhuc quibusdam reculis tenaci affectu eis adhærescunt.

August.

Pauci, qui ex renuntiatione non habent affectum ad opes.

44. Græcus.

Aspiciens autem Iesus. Seu, vt habet Græcus: intuitus eos Iesus; scilicet discipulos suos, benigno nempe vultu, vt eorum anxium animum sedaret, & ait eis: Apud homines hoc impossibile est. Vt scilicet vitibus naturalibus, ac humana arte, vt camelus per foramen acus traiciatur, ac diues intret in regnum cælorum. Impossibile est, impossibile esse intelligitur. Apud Deum autem omnia sunt possibilia. Deus enim potentia sua vniuersa potest facere, & quantum ad camelum potest Deus facere, vt substantia cameli locum non occupante transferatur per foramen acus. Quod verò ad diuitem atinet, potest Deus gratia, & auxiliis suis animum diuitis mōuere, vt diuitias, earumque amorem abiiciat, & ab omni illarum fiducia, ac concupiscentia abstractus ad diuina, ac cælestia, imò & ad paupertatem Euangelicam totus transferatur.

CAP. XXXIII.

Reliquimus omnia.

Matth. 19. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? num. 27.

VERSIONES.

- D. Greg. Nyss. Relictis omnibus, quæcumque habuimus.
Syriacus. Et secuti sumus te, quid igitur nobis futurum est?
Arabicus. Quid prope est, vt sit nobis?
Arabibus. Quid ergo obuenerit nobis?

ALTER TEXTVS.

Marc. 10. Et cœpit ei Petrus dicere: ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. num. 28.

Luc. 18.

Luc. 18. n. 28. Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.

EXPOSITIO I.

1.



ESPONDENS, accepta occasione ex his, quæ Dominus dixerat supra adolescenti reculanti de re sua pauperibus, & Christum sequi, in hæc verba prorumpit Petrus, tanquam totius Collegij Apostolici caput. Ecce, rem magnam, & grandem denotat. Nos, Non pro se, sed pro omnibus agit. Reliquimus omnia. Omnia nostra bona, vxores, parentes, fratres, ac cognatos, & etiam propriam nostram voluntatem, & secuti sumus te. Te nudum nudi secuti sumus, tuum exemplum imitantes, tuisque præceptis obediens. Et non latè, ac largè refert Petrus sua, ac suorum Coapostolorum merita, & obsequia, vt solet fieri apud mundiales Principes, sed breuiter, ac strictè, vt ponderauit Chrysofostomus homil. 65. Diligenter expende, ait, quam exquisitè duo illa, quæ Christus à diuite petijt, vt scilicet pauperibus substantiam distribueret suam, & Christum sequeretur, breuiter complexus est: dicens, reliquimus omnia, & secuti sumus te. Et exinde de præmio in cælo ac de gloria in vita æterna querit. Quid ergo erit nobis?

Chrysof.

QVÆSTIO I.

Quare Petrus modò facit hanc interrogationem?

2.

Paschal.

RESPONDET primò D. Paschasius lib. 9. in Matth. Excitatur, ait, subitè Petrus, vt interroget. quasi testis potentia Dei factus, & confirmat de se, suisque promissionem Dei. Quomiam & ipse Petrus, & omnes Coapostoli: necnon & quamplurimi, qui crediderunt ex Iudeis, contra possibilitatem humanam per Dei gratiam crediderunt in Christum. Dixit Christus adolescenti, quod vt perfectus esset, debebat sua vendere, & dare pauperibus, ipsiunque per imitationem sequi, quod cum ille audisset, abiit tristis. Ex quo Christus explicauit nimis arduum esse diuitem sua renuntiare, & intrare in regnum cælorum; ex quo interrogantes discipuli dixerunt: Quis poterit saluus esse? Respondit Iesus: Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia. Tunc immediatè ait Petrus: Ecce nos reliquimus omnia. D. Paschasius: Quasi testis potentia Dei factus. Nam quod homo sua bona dimittat, suamque voluntatem, quæ intelligitur etiam sub illo, reliquimus omnia, vt Christo adhereat, hoc non est ex naturæ vitibus, sed solum ex Dei gratia.

Quod homo relinquat sua, suamque voluntatem, hoc possibile est ex Dei gratia.

3. Euthym.

Caietan. Iansen.

Secundò, Euthymius: Timuit Petrus, ait, sibi, & condiscipulis, quasi ipsi minus fecissent, quia non vendiderant, quæ habebant, nec dederant pauperibus, ideo etiam ait: Ecce nos non vendidimus, nec pauperibus dedimus, sed simpliciter omnia reliquimus. Quam sententiam sequuntur Caietanus & Iansenius. Duo dixerat Dominus adolescenti. Primum: Vende, quæ habes, & da pauperibus. Secundum: Sequere me, & habebis thesaurum in cælo. Sylueira in Euang. Tom. IV.

calo. Viderat Petrus quod ipse cum cæteris Apostolis, licet Dominum essent secuti, & omnia sua reliquissent, non tamen ea vendiderant, nec pauperibus dederant, ac si omnia non fecissent, quæ Dominus adolescenti dixerat, ideo anxius de præmio querit, qualem futurum sit, & sanè qui à Christo vocatur, vt ipsum sequantur, si quid obsequij, & spiritualis lucri prætermittant multum anxij sint, cum in negotio salutis omnia abundantissimè, ac perfectissimè sint impendenda.

Qui à Christo vocatur, timeant, ne aliquid in eius obsequio desit.

Laudat Christus Dominus suæ dilectæ sponsæ greges: Dentes tui, ait, sicut greges tonsurarum, quæ ascenderunt de lauacro omnes gemellis fratribus, Cant. 4. num. 2. Ecce proponitur iustorum grex, imò sanctorum Monachorum, vt vult D. Bernard. ferm. 63. in Cant. & dicitur lotus, detonsus, ascendens, & pariens gemellos fœtus omnium virtutum, ac charitatis ad Deum, & proximum. Ecce sancti, ac iusti vocati à Deo, & ita solliciti, & anxij in negotio suæ salutis, maximè meruentes, ne aliquid diuini obsequij prætermittant, & ideo quamuis sint detonsi, & loti non quiescunt, sed adhuc ascendunt edentes glotiosos omnium virtutum actus. Gillibertus Abbas ferm. 23. in Cant. Attendis, ait, quod non tibi sufficit detonderi, non sufficit exonerari, non sufficit lotum, & nouum fieri, nisi statim ascendas, & spiritu incedas, qui renouaris in spiritu.

4. Cant. 4. Bernard.

In negotio salutis abundantè impende.

Gilbert.

Tertiò, D. Hieronymus: Petrus, ait, loquitur confidenter, reliquimus omnia, & secuti sumus te; fecimus, quod iussisti, quid igitur dabis nobis præmij? D. Chrysofostomus homil. 65. Diligenter expende, ait, quam exquisitè duo illa, quæ Christus à diuite petijt, vt scilicet pauperibus substantiam distribueret, & Christum sequeretur, breuiter complexus est, dicens: reliquimus omnia, & secuti sumus te. Ambo enim hæc facta iam erant: nam sua reliquerunt, vt ipsum sequerentur. Idem docent Origenes, D. Paschasius, S. Thomas, & alij, & hæc est verisimilior sententia, significabat Petrus se, & alios Apostolos omnia iam fecisse, quæ Christus ab adolescente postulauerat; nam omnia sua reliquerunt, an verò vendiderint, vt pauperibus darent; negant Euthymius, Caietanus, Iansenius. Quamuis res non constet, tamen maxime non consentaneum est perfectioni Apostolicæ, quod Apostoli ex suis rebus aliqua venderint, ac pauperibus dederint, aliqua verò etiam ex affectu charitatis, suis propinquis, qui pauperes erant, reliquerunt. Ita Maldonatus, Barradas, & alij.

5. Chrysof.

Hieron.

Origenes. Paschal. D. Thomas.

Euthym. Caietan. Iansen. An Apostoli dederint omnia sua pauperibus? Maldon. Barradas.

Quartò, Vidit Petrus, quod illud, quod adolescentis tristis recusat, ipse libentissimè cum cæteris Apostolis est amplexatus; si ergo iuueni, vt bona sua dimitteret, ac Christum sequeretur, promittebatur thesaurus in cælo. Da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, Matth. 19. num. 21. Ipsi verò Petro, ac cæteris Apostolis, qui ante promissionem sua reliquerunt, qualifnam erit eorum merces? Quid ergo erit nobis? Ac si dicerent: Iuuenis ille obiecto præmio ante oculos noluit sua dimittere, & te sequi; nos verò, qui nullo spectato præmio nostra dimisimus, ac te secuti sumus, quid ergo erit nobis? Vide supra cap. 22. num. 17. & cap. 27. num. 161.

6.

Qui non obiecto præmio sua dimittit, magno præmio dignus.

Quintò, In eadem sententia D. Hieronymus, D. Thom. Reputabat Petrus, ait, magnum fecisse, quia omnia dimiserat. Quam doctrinam consilij adolescens, qui omnia præcepta legis seruauerat, noluit.

7. D. Thom.

noluit tenere, vt sua dimitteret, & pauperibus daret, quod non est præcepti, sed consilij, vt dixi superiori cap. 32. expof. 3. Ideo D. Petrus, vt inquit D. Hieronymus, ac Palchal. magna fiducia interrogat: Quid ergo erit nobis? Nam ipse cum cæteris Apostolis omnia præcepta, & consilia obseruauerat, vt Christum cum paupertate sequeretur. Et si qui præcepta legis adimplent, magno replentur præmio. Quid ergo erit nobis? Qui præcepta, & consilia omnia perfectiffimè obferuamus, qualifnam erit merces; qui enim præcellunt in merito, debent præcellere & munere, ac dono.

**8.** *Facta est autem quadam dies, & transibat Elifæus per Samam: erat ibi mulier magna, 4. Regum 4. n. 8.* Mulier magna id est diues, potens, ac deuota, vt explicant Lyran. Carthusianus, Hugo, & alij; quæ mulier tenuit Prophetam, & excepit eum hospitio; maximè dubitant interpretes, cur Scriptura suum vfitatum morem inuertit, vt non de viro, sed de muliere faciat mentionem; cum ex ipso textu expressè constet, quod mulier hæc habebat virum ibi, n. 9. & 14. Cur ergo dicitur: *Mulier magna, id est diues;* nam vt ibi notat Lyran. Sarius videbatur dicendum. Etat ibi *vir magnus, id est diues.* Nam diuitiarum dominium, ac dispensatio non ad mulierem, sed ad virum pertinet. Deinde cum sape Elifæus diuerteret in domum illam, in eaque commoraretur, sic mulier se habebat erga domum illam, ac si in ea vir non esset, nec mulier viro esset subordinata, sed domesticam curam, ac imperium sola illa teneret; imò cum pro gratitudine vult munus soluere non ad virum, sed solum ad mulierem dirigit sermonem. *Ecce sedule in omnibus ministrasti nobis, quid vis vt faciam tibi?* ibi n. 13. Cur cum viro nõ partitur gratitudinè: Ecce qui præstantiores sunt merito, præcellunt præmio; & mulier, quæ conditione, ac sexu inferior est, tamen cum virtute viro emineat, non solum legis præcepta seruans, sed consilia adimplens, pauperes hospites benignè recipiens, illisque de necessarijs prouidens, sic exinde sublimior extollitur, vt vir penè immerfus maneat, & præter Scripturarum morem nõ de viro, sed de vxore fit fermo, tanquam ac si in illa domo vir non sit dominus, sed seruus, omniumque rerum ius ex nobili virtutis imperio ad vxorem pertineat. Abulens. quæst. 15. *Quare Scriptura, ait, facit hic mentionem specialiter de feminis, cum ista haberet virum viuentem, & contra Scriptura consuetudinem, & modi loquendi: cum vir sit caput mulieris? Respondetur, quod mulier erat melior viro, & famosior; ideo fit mentio principaliter de illa. Vide supra cap. 2. n. 159. & cap. 27. n. 161.*

QUESTIO II.

*Quare Petrus interrogans cum admiratione mercedem requirit, cum tamen ipse totius Ecclesie esset caput constitutus?*

**10.** *It Petrus: Ecce nos reliquimus omnia: illud aduerbium, ecce, admirationem denotat, rem magnam dicit; & certè mirabile est, quod homo relinquat omnia sua, suam voluntatem, & semetipsum, vt infra in sequentibus quaestionibus expendam; hic tamen duo quaero:*

*Primò. Valde mirabile, quòd homo, qui omnia sua reliquerat, ab omnibusque expoliatus erat, ad*

huc tamen sollicitus præmium procurat, mercedem ambit, cum valde frequens sit apud mundiales, vt solum habenti detur. Profecturi fratres Ioseph in terram Chanaan, vt parentem Iacob adducerent in Ægyptum. Ait eis Ioseph: *Ne dimittatis quidquam de supellecili vestra, quia omnes opes Ægypti vestrae sunt,* Genes. 45. n. 20. Chaldeus habet: *Quoniam optima totius terra Ægypti vestra erunt.* Videtur sub his verbis latere contradictionem, si enim omnia bona Ægypti, ac optima illius eis promittuntur, ad quid necesse est, vt humilem suam supellecilem secum asportent? Ex ipsa sanè causa, quia opes Ægypti eis promittuntur, necesse est, vt omnia sua adducant in Ægyptum; nam apud principes sæculi non datur nisi habenti, & vt ipsi obtineant opes Ægypti, magna suorum bonorum copia requiritur; nam si his fuerint expoliati, nil eis dabitur, sed omnium inopia laborabunt. Dominus ille talentorum, in sensu morali dicimus, ait seruis suis: *Omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo,* Matth. 25. num. 29. Habenti talentum, plus talentorum datur; non habenti autem talentum, & lucrum eius, quod videbatur habere, auferetur.

Secundò. *Ecce.* Et valde mirabile, quòd Petrus, qui iam officio, ac magna dignitate potiebatur; tamen adhuc alijs consulit, pro eisque loquitur, vt ipsi munera, ac mercedem consequantur, quid mirabilius, quam quòd homo, qui loco, ac officio est insignitus, & bene accommodatus, de alijs non obliuiscatur, sed pro eis omnibus iuribus procurans verba faciat? Multis Moyses intercedit pro populo, non verò Noè. Cum Moyses audisset à Deo se velle delere gentem illam, ait: *Cur Domine irascitur furor tuus, contra populum tuum, quem eduuxisti de terra Ægypti?* Exod. 32. n. 11. Ait Deus Noè: *Finis vniuersæ carnis venit coram te,* Gen. 6. n. 13. Famem Noè nil rogat, nec deprecatur pro toto orbe; vnde tanta diuersitas? Dixit Deus Noè: *Fac tibi arcam.* Et cum ipse iam tam commodum locum, ac tantum animantium regimen teneret; facile totius orbis obliuiscitur, vt pro nullo verba faciat, ac loquatur.

Educunt Angeli Lot de subuersione Sodomæ, dicuntque ei, *in montem saluum te fac.* Rogabat Lot, vt ei concedatur ciuitas Segor, in qua ipse cum eius habitatoribus possit ab incendio incolumis seruati. Dixitque ei Angelus: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam orbem, pro qua locutus es,* Genes. 19. num. 21. **Quòd** explicans D. Chrysofomus ait, in persona Angeli: *Petitionem tuam tibi exhibeo, propter te, etiam ciuitati parcam, quasi diceret, non solum annuo precibus tuis, sed ultra nulla erit poena habitatoribus infligenda.* Maximè dubitabis, quomodo ciuitas Segor tam facile rogationibus Lot concedatur, cum tamen Abrahamus multis orationibus exhibitis pro illis ciuitatibus nil valuit impetrare? Gen. 18. n. 25. Maior erat sanctitas Abrahami, quàm Lot; & tamen Abrahamus rogans, nil obtinet; exoranti verò Lot vna integra ciuitas conceditur, quæ huius rei causa? Lot assignatus fuerat mons tanquam conueniens locus, vt in eo saluari possit, & tamen cum ipse tam commodum locum impetrasset, de aliorum non obliuiscitur salute, sed maximè recordatur, vt pro ipsis procuraret, ac loquatur, & inde eius oratio tantum placuit Deo, vt id, quòd Abrahamo negatum est, libentiffimè Lot concedatur.

Tertiò.

**13.** Tertiò. In hoc dubio versamur, quòd in titulo quaestionis proposuimus, quare cum Petrus esset primus Apostolorum factus, ac totius Ecclesie caput, magnorumque miraculorum operator, & tamen adhuc super hæc præmium quaerit, ac de mercede interrogat, *Quid ergo erit nobis?* Illa bona licet magna erant tamen transitoria huius vitæ, magnus autem Petrus in nulla re præter Deum quiescebat; animus noster perituris minimè contentus impletur, sed magis irritatur. Vehementer Rachel exoptabat filium, voti compos ei nascitur Ioseph. *Vocauit nomen eius Ioseph, dicens: addat mihi Dominus filium alterum,* Genes. 30. num. 24. Rachel optatis fruitur; Cur non quiescit? Cur modo alterius filij magno desiderio æstuat? Natus ille, res quædam temporalis sæculi. Ex quo illius possessione affectus non impletur, sed magis stimulat, ac accenditur, vt altero potiatur. *Addat mihi filium alterum.*

**14.** De bonis temporalibus ait Iob 5. num. 5. *Cuises messem famelicus comedit, & bibent sitientes diuitias eius.* Res sanè mirabilis, si integram messem habent, quomodo famelici? Si integras diuitias retinent; quomodo sitientes? Erant bona temporalia, quibus appetitus non impletur, sed irritatur, nec illis bonis saturatur, sed magis prouocatur. Vnde iusti, sicut & Petrus in præfenti omnibus rebus perituris contemptis, maiora quaerunt, solum Deum desiderant, in cuius contemplatione conquiescunt; vnde piè, ac deuotè dicebat D. Augustinus lib. 2. Confession. *Etsi omnia, quæ sunt in mundo habeam, te non habeam, pauper ero; si autem te solum nudum inueniam, etsi cætera, quæ sunt in mundo non habeam, ditissimus ero.*

QUESTIO III.

*Quare solus Petrus interrogat pro omnibus?*

**15.** *In* persona omnium Apostolorum, vt ait D. Hieronymus, interrogabat Petrus; imò, vt ait D. Chrysofomus homil. 65. *Apostolus quoque, ad vniuersi orbis commodum non dubitauit interrogare.* Et hic maximè notandum est, quòd dum Petrus Apostolorum nomine quaerit, eos iunctim, ac maxima vnione colligatos numerat, *reliquimus omnia.* Tanta enim vnio frequenter paupertatis effectus; paupertas enim mirificè omnes coniungit, ac astringit in vnum; è contra verò diuitiæ, ac bona temporalia multam diuisionem, ac separationem inducunt. Dicunt sibi ad inuicem filij Adam: *Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad caelum, & celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras,* Genes. 11. num. 4. Hæc verba dixerunt, vt notat D. Thomas, magno affectu, & cum multa communi concordia Si ergo omnes erant tanta vnione, ac amicitia colligati, vnde diuisionem, ac separationem coniecturaerunt? Erant ipsi in multa opulentia, vt dominatores vniuersæ terræ; tanta autem rerum affluentia, certissimum futuræ diuisionis prænoticum erat: fauet Philo lib. de confusione linguarum: *Quamuis impromissi, ait, vtricem tamen scelerum suorum Dei iustitiam præfagiantes: dicunt priusquam dissipemus.*

**16.** Respondet ad nostram quaestionem Abulens. *Sylueira in Euang. Tom. IV.*

quæst. 85. quia Petrus audacior, seu confidentior erat apud Christum, & cæteris ardentior, ac sollicitior ad ista quaerenda, ideo fortassis citius occurrit ei in mentem ista quaerere; quam alicui aliorum. Secundò. Petrus in maiori honore erat apud Christum, quàm cæteri; designatus erat à Domino, vt totius Ecclesie caput, & idè omnium personam representans, pro omnibus loquebatur; vnde cum aliquid esset quaeritum ab omnibus, Petrus pro omnibus respondebat, vt cum ad portas Cæsareæ Christus ad discipulos ait: *Vos, quem me esse dicitis.* Ex persona omnium Apostolorum respondet Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui,* Math. 16. n. 16.

Tertiò. Petrus generosè ad mortem, carcerem, ac laborem, ipse solus se offert Christo: *Domine, tecum paratus sum in carcerem, & in mortem ire,* Luc. 22. n. 33. *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo,* Math. 26. n. 35. Et cum occasio datur, ipse solus se periculo obicit. *Extendens manum, exemit gladium suum, & percussit seruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius, ibidem n. 51.* At verò cum de præmio, ac mercede est sermo ipse sollicitus pro omnibus procurat, ac loquitur: *Reliquimus omnia.*

Ait Sponsa: *In lectulo meo per noctes, quaesui illum, & non inueni.* Et statim subdit: *Surgam, & circuibam ciuitatem, per vicus, & plateas quaram, quem diligit anima mea. Quaesui illum, & non inueni.* Et post largam indaginem, ac longam inquisitionem, ait: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ,* Cantic. 3. num. 4. Anima sancta multum insudauit, ac laborauit, vt dilectum suum reperiret. Nam per multas noctes ipsum quaesuit, & non inuenit; multotiesque per vicus, & plateas ciuitatis, quamplurimis periculis exposita, vt à custodibus vulneribus afficeretur, vt alibi ei contigit, altis vocibus eum exquirat, & non inuenit. Tandem amor multo zelo abundat. Vt canit Virgilius eclog. 2.

*Inuidiosus amor, res inuidiosa voluptas.* Vnde apud mundiales, qui diligunt, minimè patitur amorem in plures diuidi, sed totum sibi integrum malunt. Cur Anima ergo sancta in parentum domum vult suum dilectum introducere? Et non potius in suam, vt eum totum vni sibi referuet? Amatrix anima sancta quamuis in labore, ac sudore suum dilectum exquirendi ipsa sola sit, tamen sic vult eum tenere, vt simul amet illum à pluribus possideri, maximèque affectat, vt multi de sui amatoris amore, viuant; ideo illum non introducit in peculiarem, sed in communem domum matris suæ, vt ab eius fratribus participetur. Gillibert. Abbas serm. 6. in Cant. *Delicia eius, scilicet Sponsæ, ait, sunt, tecum esse dilectum suum; non inuidet, non zelatur. Dilectum suum, omnium, vult esse dilectum.* Vide multa de hac re tam hoc tomo, quàm 1. 2. & 3. in Indice, verb. *Communicare.*

QUESTIO IV.

*Quare cum Petrus pauca, & parua haberet, dicit se reliquisse omnia?*

**19.** *Ecce* ponderat D. Chrysofomus hom. 65. *Quanam sunt hæc omnia, ait, qua dicitis à Be-*

Abulens.  
Petrus in magno honore apud Christum.  
Math. 16.  
Luc. 22.  
Math. 26.  
Petrus solus periculo se offert, in præmio pro omnibus agit.  
Cantic. 3.  
Generosus animus solus se periculo obicit, omnibus vero procurat bona.  
Virgil.  
Gillibert.  
Chrysof.  
Eec 3

*Qui præcellit in merito, præcellant, & præmio.*

**8.** 4 Reg. 4.

Lyran. Carthus. Hugo.

*Inferior ex merito habet ius imperij.*

Abulens.

Genes. 45.

Chald.

*Solum habenti datur.*

Math. 25.

**11.**

*Valde mirabile, quòd homo bene accommodatus de alijs agat.*

Exod. 36.

Genes. 6.

**12.**

Genes. 19.

Chrysof.

*Genes. 18. Multum promeretur, qui bono loco obtentore de alijs recordatur.*

*Diuitia paruum diuisionem.* Genes. 11.

D. Thom.

Philo.

**16.**